

QK.320.

Schulenburg

Z e  
4150

TV MVLVS  
Strenui, equestris & ve-  
tusto generis Splendore, amplitu-  
dine, eruditione, sapientia ac virtute nobilissimi Dn.  
Richardi à Schulenburg, Domini in Löcknitz, Lubenau, Ba-  
ronatu Straupizensi, Apenburg, Bezendorff, Luberosa, VVe-  
sterburg, Penkun, Zaucha & Zepzin, Domini & patroni  
sui piè in Christo defuncti, Anno seculari 1600.

Mens: Nov: Die 15. stylo veteri

erectus à

M. BALTHASARE MENCIO ET ALIIS  
in Academia VVitebergensi.



BIBLIOTHECA  
PONICKAVANA

VVITEBERGAE  
Typis Laurentij Seuberlichij. Anno 1600.

D: RICHARDI

*Beatissima recordationis*

FILIO

*Paternarum virtutum, indolis laudum, atq; feu-  
dorum bonorum heredi unico, suc-  
cessori mæstissimo:*

Dn: IO A CHIMO A  
SCHVLENBURG.

*Dn: in Löcknitz, Lubenau, Baronatus  
Straupicensi, Luberosa & VVe-  
sterburg &c.*

Dn. & fautori suo  
dedicat.

BALTHASAR MENCIVS  
M. & P. L. C.

'MEMO-

MEMORIAE & HONORI

MAGNIFICI AC VERE  
NOBILISSIMI Dn. REICHARDI, à SCHV-  
LENBURG, Domini in Locknitz, Lubenau, Baronatu Strau-  
pitz, Librofa & Vvesterburg etc. qui ex hac mortali vita ad æ-  
ternæ beatitudinis Communionem piè emigravit

Anno 1600. mense Nouembri.

**M**usa tuis quondam meritis ornata benignè  
Dona dat exequijs hæcce Richardo tuis,  
Tu decus Aonidum, columen tu Teutonis oræ,  
Teutona mens verè fraude tibi orba fuit.  
Mens terræ natalis amans, mens dedita CHRISTO  
Quid CHRISTO & patri dulcius esse potest?  
Res prudens ratio est semper moderata gerendas  
Iustitia in factis omnibus emicuit.  
Testes sunt rapidâ quos, Sequana diuidit unda  
Atq; ubi fæcundat Tybris amænus agros,  
Testis & in reliquis divini Cæsaris aula:  
Heu deflet manes subdita terra tuos.  
Si fluvios oculis fundam, si pectore flamas,  
Nil mihi pro meritis esset id omne tuis.  
Heu patriæ fulcrum maiores poscit honores,  
Obsequium pietas & tua cana fides.  
Nil duxisti unquam potius, quam patria saluis  
Legibus ut prisco iure beata foret.  
Cumq; videretur quædam impendere procella,  
Non vacua à curis luxerat ulla tibi.  
Scilicet in placidam sortem quocunq; referres,  
Et patrio arceres sedulus orbe malum.

Quæ



Quæ præclara tuam dum urget meditatio mentem.  
Mors venit & patriæ reproba surripuit,  
Et nunc communi tua luctu fata sequuntur,  
Templa, scholæ, cives, curia, flumen, ager.  
Magna tamen capiunt omnes solatia rursum,  
In tua quod Natus signa superstes eat.  
Hunc morum effigiem linquis specimenq; tuorum,  
Quod munus gratâ patria mente capit.  
Ergo velut colis astra animo, sic nomine claro  
Orbem, dum fuerit gens Schuleburga coles.

### EPITAPHIVM.

REICHARDVS placida cubat hac SCHVLNBVRGIus urna  
Nosse sat hoc fuerat: sed tamen ista lege:  
Consilijs præstans erat omnibus, integer actis,  
Moribus eximius, relligione pius  
Nobilis his donis, cum vixerit, occidit ipse,  
„ Ipse tamen celebri nomine in orbe manet.  
Nunc mens in cœlis, cinis hac sub mole quiescit,  
Patris alit Natus non sine laude decus.

*M. Balthasar Mencius Nimecensis P. C. & in  
Acad: VViteb: facult: Phil: Adiunctus.*

Pijs Manibus  
RICHARDI A SCHVLENBVRG  
V Os ô, Sancta parens Pietas, Prudentia, vitæ  
Præses, & ô nervi prosperitatis, Opes:  
Siccine nec vobis feralis parca pepertit?  
Nec vos tot vires asseruere manu?  
Hei! nimis hoc verum est? nisi vos quoq; læderet Ate,  
Quamlibet unanimi fædere contiguos:

Nun

Nunquam RICHARDVS SCHVLEBURGIVS ultima vixet  
Lustra, nec exequias fas foret ire suas.  
Sed vixit: gelidumq; nigrâ stat funus in urnâ,  
Ille novus priscæ nobilitatis apex.  
Quamvis hunc pietas, quamvis prudentia, quamvis  
Divitiæ, quamvis nobile stemma patrum,  
Claravere satis; quamvis dum vixerat, unus  
Idea matu ræ prosperitatis erat:  
Non tamen hæc tanti fuerant, quæ spicula mortis  
Excutiant: natus hac ratione fuit,  
Ut denascatur: mortali lege solutus  
Nemo fit, humanâ qui statione manet.  
Ergo quod occubuit, communi paruit hosti;  
Ipsius integritas non tamen inde perit.  
Integritas vitæ, integritas rarissima sortis  
Vivet & integro nomine sospes erit?  
Plaudat is in cœlis; applaudent condita terris  
Offa, dehinc animæ restituenda suæ.

M. Frid. Balduinus,  
Dresd. P. C.

H Aud equidem vastum virtus animosa barathrum,  
Horretue Leti pocula:  
At Christiana alto Respublica detimento  
Quassata, luctu, lacrumis  
Rivos perpetuat: turpata per ora perennes:  
Res vera, res miserabilis.  
Ecquis non quæstum Libitinæ questus acerbum  
Moriente Schulenburgio?  
Hic astræa suum mœret pietasq; patronum  
Et litteratorum manus.

Et



Et qui non? quid non? notissima Fama per orbem  
Narrat renarrat indidem:  
Exemplum virtutis obit, & Nobilium Rex  
Moricente Schullenburgio.

M. Iohan. Blaufelderus P. L.

LESSVS REICHARDI  
von der Schulenburg.

Alitis heroi mihi metra sonantia fingat  
Spiritus, humanis rapit altior impetus; Euge  
Pieris alma melos Cyrrhaeis accine plectris,  
Schulenburgiacæ columen prænobile stirpis  
Occidit, ô Charites plantate in carmine nervos.  
Marchiacis cecidit flos pergnerosus in hortis.  
O mihi tām blanda fluerent melligine metra:  
Qualiter ad scythicas heros Oeagrius undas  
Bis raptam Euridicen: bis raptæ fata maritæ  
Conquestus comites animalia cuncta doloris  
Audijt, & luctum testata in vallibus Echo:  
Omnia chare pater vestris impendere fatis  
Eset amor, celsis veheretur Castalis alis,

Concine lugubres mea tibia concine versus.  
O Libitina meis quid tot mœroribus obstas  
Lætitijs, iustos quid tot scelerata peremptos  
Eximis humanis, cum tot perversa superfint  
Monstra hominum numerus telluris inaneq: pondus.

Concine lugubres mea tibia concine versus:  
Optima quæq; rapit, nigræq; accedere turbæ  
Persephone primùm cogit, quos aurea virtus  
Nobilitasq; animi stimulat, capita alta per æthræ  
Nubivagos tractus extollere, vertice cœlum

Tan.

Tangerē, pallenteis detrudere gestit ad umbras.

Concine lugubres mea tibia concine versus:  
 Scilicet ut violæ & vaccinia nigra peremto  
 Flore cadunt, subito candardia lilia Caurus  
 Demetit, exuperant dumeta peravia sentes,  
 Carduus & spinis vernal paliurus acutis;  
 Sic quoq; quos Charites Dryades nymphæq; sorores  
 Terq; triplex acies Musarum educere verunt,  
 Turbatos solio gremioq; nutricio abactos,  
 Truncat amara dies, plebæâ & fæce popelli  
 Exuperante agitat magnis celerantia fata.

Concine lugubres mea tibia concine versus,  
 Vos Dryades Satyriq; agrestia numina Fauni,  
 Flete piam sobolem, crudelia fata coloni  
 Flete, Richardus obit, raptæ est Schuleburgica prole.  
 Venatrix Diana choros suspende, Napæas.  
 Flere iube, ut quondam disceptum membra quadrigis  
 Hippolytum flesi. Pelidnq; incluta Thetis  
 Heliades veluti Phaetontia funera moestas  
 Eridani ad ripas tristi fleuere dolore.

Concine lugubres mea tibia concine versus,  
 Quis post hâc cinget virides indagine sylvas  
 Aut laqueos teretes properabit, culmine montis  
 Quis capreas celeres agitabit, & alta minaci  
 Vertice perumpet fastigia? quis iuga damis  
 Excutiet, fulvosq; audaci cæde leonis  
 Prosternet? quis ager pavidos formidine pennæ  
 Puniceæ cervos, ah gloria vestra peremta  
 Occidit! ah Schulnbergiadum pius occidit heros!

Concine lugubres mea tibia concine lessus.  
 Librofa, Szephinum, sedesq; ô grata Lubenna

De-

Defuncti herois lacrymarum flumina abundè  
Fundite, mœstificis discerpite pectora curis:  
Non posthac prædâ insignis rigidum caput apri  
Sus munere pendet, vobis non cornua cervi  
Celsa coronabunt spumantes sanguine postes.  
Concine lugubres, mea tibia concine versus.  
Scilicet occultos gaudet meditarier ictus  
Morta ferox, & qua nunquam speraveris horâ  
Lethiferis animat volitantia spicula plagis.  
Ergo cauta alacrem pertentent gaudia mentem.  
Temporis incerta haud unquam Libitina iocatur.  
Concine lugubres mea tibia concine versus.  
Ergò instauramus patrono funus & alto  
Ducatur cippus tumulo, nigraq; cupresso  
Crypto agitet molem tepido spumantia lacte.  
Cymbia fundantur, tumuloq; inscribite carmen:  
Hic Schuleburgiadum generosa stirpe Richardus  
Corporis exuvias posuit, cui nobilis ordo  
Non habuit pietate parem aut præstantibus ausis:  
Spiritus astrigeri radiantia culmina Olympi  
Incolit: hoc obitu ex pirant pietatis alumni:  
Desine lugubres mea tibia desine versus.

*Scriptus à Leonhardo Angelo Poetâ  
Cæsareo & SS LL studio*

AD BALTHASARVM MENZIVM, NOBI-  
...ni Reichardi Schulenburgij Siticinem.  
ETSI de vultu ignotus mihi vixerat ille:  
Etsi illi ignotus vivo superstes ego:  
Ac quisquam de me fortasse dicere possit,  
Perdere me quovis Musica dona loco:

*Quod*

Quòd tamen ingenii mihi nomine nobilis ambas  
Iampridem adfecit suaviter auriculas,  
Musarum cultor tām SCHVLENBVRGIVS æquus,  
Doctrinæ domus ut edita claruerit:  
Ecce tuis lacrimis etiam suspiria, Menzi,  
Hæc super extincto præstite iungo mea:  
Sed paucis: non debueras, REICHARDE, moriri!  
Nam quis deîn Vatum, heu! tantus amator erit?  
Pluria nec possum singultato addere versu.  
Nec satis Aonidum nænia docta gemet!

*Sophonias Hasenmullerus,  
Fr. Poëta Laureatus.*

SCHVLENBVRGIACO posuit monimenta RICARDO  
Mentius hæc, Mentis symbola grata suæ.  
Si qvis erat, cui vel virtus, vel nummeus ordo  
Immunem possent reddere morte viam,  
Huic potuissent; At nec prædia, nec favor ampli  
Cæsaris, aut virtus hanc prohibere valent.  
Nascimur ad mortem: ad vitam morimur; gravis hora  
Vitái: Mortis svavior hora venit!  
Tu qui hac transibis, vitæ nè fide: cadit flos.  
Qvâ minimè sperat, morte peribit homo.  
SCHULENBURGIACI doceant te exempla RICARDI:  
Quem Libitina suo fert violenta pede.  
Singulæ erunt, Mortes, horæ: Tu, homo, crima linque,  
Felices horæ sicut tibi Singulæ erunt.

*Scrib. ἀυτοχεδ.  
Ioh. Georgius Hochstaterus,  
Kitting & Franc. Poeta Coron.  
B Inclyta*

Inclyta RICHARDVS Schuleburgæ gemma propagis  
Occidit, ingenio nobilis & genere.  
Heu qualem Themis & virtus amisit alumnū!  
Quali heu patrono Pieris orba iacet!  
Fleto tui Pietas cultoris fata. Quid? Immō,  
Te duce quōd cœlis sc̄ penetrārit, ova.

M. Augustinus Preilius,  
Torgensis.

Θρυλοδία in funere  
NOBILISSIMI Dn. RICHARDI A SCHVLE-  
burg. etc. Ad filium Ioachimum

Ipse mihi vires & lamentabile murmur  
Elysia de valle dabis, campisq; beatis  
tristia odorifero pertinges carmina amomo,  
Richarde, heroum flos ô generose virorum,  
Infelix flos ante alias, quem funere acerbo  
mersit iniqua dies, obscurisq; intulit umbris,  
mœsticiæq; tuis feralia flumina adaugens,  
Heu lacrymas sine fine, truces sine more querelas  
increpitare adigit. Quid enim doctissima frustra  
numina Pegasidum, sanctiq; crepidine montis  
affixum immemoremq; sui deposcere Phœbum?  
Scilicet irrigui generosus inaruit humor  
fontis, & aonidum teneras marcescere lauros  
sensimus, & trepidas sine mente horrescere diuas.  
Quin etiam illustri Phœbum tua dicere facta  
aggradientem operâ, plectrum abiecisse, ferasq;  
extimuisse ferunt hederis inolescere taxos.  
Quippe animum exanimant, tanti benefacta magistri  
semper inoblitio vulgantia corde dolorem.  
Ipse etiam dulces habitauit Phocidos amnes,

Indutus nitidâ parnassia vellera fronte.  
Ipse etiam insigni curâ complexus, amantes  
Pimpleidum, & docto vernantes tempora honore.  
Nunc ubi siderias animum exhalavit in auras,  
dulciaq; ingressus post fata nouissima olympi  
tecta, perennatos hominum gemit usq; labores,  
cœlicolis & iunctus agit heroibus heros,  
Ipsi etiam tristes gemebundæ Phocidos amnes  
eructant pavidas luctanti gutture voces.  
Ipsi etiam, curâ quos est complexus, amantes  
Pimpleidum, & docto vernantes tempora honore  
Egolidas fundunt lacrymas, & carmina fundunt  
tristia, qualia amat venturi præscia læthi  
Spargere auis, liquidis voces simulantibus undis.  
At quid ego? querulo num scindam pectora luctu?  
num lacrymis lacrimas cumulabo? furentib. addam  
Sævus palladij flammis mala pabula oliui?  
Non ita lugubi me natum Syderis ortu,  
nec tam triste supercilium, torvamq; Catonis  
assumpsisse velim frontem, non ora tuebor,  
Ora perennifluis semper tabentia guttis:  
Quin potius constantem animum, constante fovebo  
pectore; seu faciem fortuna ostendet amicam,  
sive minans quatiet DEa, dirumque aspra tonabit,  
non me adeo dubium reddet mihi, magna Iehovæ  
iussa, voluntatesq; canam, quondamq; rapaci  
reddendus gremio terræ, in cineresq; iturus;  
interea grato solabor carmine fati  
(dum Schuliburgiaco faciamus iusta) labores.  
Huc ades, ô Ioachime, potens virtutis, & artis  
Heu quondam patriæ non immemor; aut male gratus,

præ-

prætenta Virtute æris qui tollat aceruus,  
Huc ades, & faciem dōcto quam pingimūs ungue,  
factaq; virtutesq; patris celebramus, acuto  
contemplare animo, mentemq; intende sequacem.

Si pia Nobilitas & alunt præconia ceris  
Atria maiorum prælustria, & inclyta patrum,  
Per longam seriem transmissa insignia, & annos,  
Cui Schuleburgiacæ generosa prosapia stirpis  
esse potest ignota? volat, volat aurea toto  
fama solo, roseis volat irremovable alis:  
fama, per Odrysijis metuenda tonitrua Martis,  
perq; faces, & tela graui sudore parata.

Sunt etiam, qvæ castalij solertia Pindi  
principibus placuisse viris dedit, acceptosq;  
mista senum gravitas, iuuenum prudentia fecit.

Scilicet Illimi de fonte resultat aquæ uis  
Splendida, quæ totis diffundit flumina terris:  
& nescit timidam generosa aliuisse columbam  
prædatrix iouis ales: habet sua pignora pleno  
Pingue solum sinu, Ave ò Ioachime, Deorum  
concilijs immixte & quam tibi sana remittit  
Atropos, infausto secuit quæ pollice fusos,  
accepta sobolem, patriaq; amplectere curâ.

Suaviter hic lateri latus agglomerabit, amicas  
hic dabitur placidè dextris coniungere dextras,  
ferre referre sonos, cœlesti melle liquentes  
Et sortes variosq; orbis narrare furores.

Hoc genitore satus teneras prodiuit in auras  
RICHARDVS, totus splendore & acumine totus  
excellens patrio; præstansq; illustria fortis  
argumenta animi, decus & spes una parentum.

Fama

Fama ruit ( nec iners, docuit pōst exitus ingens)  
Alterno Charin & musam incunabla labore  
motâsse, & lerido lallum incinuisse puello,  
dulcifluo & placidum somnum allexisse susurro.

Nec primum complērat iter revolubilis ætas,  
Iam puerο dulcis Phæbææ succus aquai  
instillatur; agens ille in præcordia, flamas  
excitat, ingenuos atq; ossibus implicat ignes.  
Non secus ac parua latitans in cortice primūm  
scintilla, ut vires trahit auxiliaribus auris,  
culmina adesa vorat lambens, lateq; vagatur  
ignis & indomitis Vulcanus inæstuat iris  
uritur infelix inuenis : nec enim ante quievit,  
aut valuit sedare faces, in castra priusquam  
Cecropidūm tetulisse pedes, laticemq; bibisse  
contigit Aonium. Ambrosius hic Delius haustus  
florigerâ ingessit paterâ, pectusq; liquore  
imbuit, Ausoniæ firmatum Palladis arte.  
Suavia tum clariæ moverunt plectra forores:  
Ipse tenens cytharam dextra crinitus Apollo,  
dux pater ipse gregis, pede ducit agente Chœreas.  
RICHARDE ô, vox una sonat, vox aurea, salue,  
O Schuliburgiacæ fax præclarissima gentis,  
Gentis aue eximiæ fax intemerata : remugit  
vox dimissa iugis, echoq; immurmurat antris :  
O Schuliburgiacæ fax illustrissima gentis,  
Gentis aue eximiæ fax intemerata, trahantq;  
candida linigeræ tibi stamina, firmaq; diuæ,  
Ipsi etiam fontes, doctiq; cacumina saxi  
& miscere preces visa & bona dicere verba.  
Iamq; extincta sitis, molles populata medullas,

Bel-

Bellerophontide aqua, iamq; ô Richarde beato  
iuncte gregi superum, quos gloria tollit olymbo,  
Nobile nobilium fulgebas lumen ab undis  
Quale solet rediens rutilo Tithonia coniunx  
verti ce honora iubar sustollere montibus altis.  
Quilibet afflatum tacite decus observatq;  
admiratus, & hæc olim tibi fama salutem  
afferet, ô Richarde, ait & memorabere factis.

Nec frustra hæc audis abierte ferenda procellis,  
Dieta, sed optato potuisti appellere portu,  
fortunæq; rotis, dubiæq; illudere sorti.

Ah pereat, quisquis dulceis ante omnia musas  
projicit, & tumidum sectatur stultulus aurum  
nobileq; insano consumit tempus Iacho.

Non hæc cui potiore luto præcordia Titandæ  
finixerat, heroi nostro sententia sedit:

sed varias lustrare urbes, perdiscere mores,  
atq; serenato prudentis acumine cordis

Virtutem accessisse, aditusq; intrasse profundos  
relligionis honos, pietasq; infracta coëgit.

Tum verò Ausoniasq; plagas & Gallica rura  
ardor erat penetrare; alti vada Tibridis, & qua  
In mare spumantes Rhodanus cum murmure fluctus  
evomit Aonijs bene fertilis amnibus amnis.

Hic decus est puræ studio pallere themistis,  
iustitiæ callere modos, nostrosq; sagaci  
eruere ingenio. A strigero sol splendet olymbo,  
nobilis ingenuis animus conspectiore exit  
artibus, & titulis sibi conciliatq; decorem.

Ast ubi jam primis proiecti mensib: anni  
sanguine florebant solido, iam dulcia miscet

prælia



prælia amor, iam melliflua cuppedine iunctus  
Te, Scholeberga, ardet vultusq; intentus inhæret.  
scilicet egregiæ mulcebant pectora formæ  
illicea, & niveo virtus immista nitori,  
& genus & proavi. Tanto tc munere quondam  
Richarde, ipse Deus DEUS ipse exornat, & alto  
ominibus iungit faustis de sanguine nympham.  
Ex illo terras cœlis Astræa relicta  
incoluit, iussitq; nouo decurrere sole  
Sæcula. Quippe tuo statio placidissima sceptro  
& Themidi, Ascræisq; fuisse immota puellis  
creditur. Ipsa auidam mellito carmine mentem  
Imbuit & delinificis Suadela loqueli.  
instruxit, grav i æ ruerent ut pectore voces,  
Si quando ista sibi tempus deposceret oras:  
mellite ut fluerent Musæo nectar in, &  
si quando rabidis commota incendia flammis  
sopires, inimicitiæ male noxia tollens  
Semina. Novistis, niemini istisq; omnia, quos vel  
Cunq; ferit sterili curvi fluus albis arena,  
Vel piscosa tenet pomerania, & ora Lusatûm,  
& quos diues habet fœcundis Slesia campis.

Grata pijs ducibus pietas fuit atq; vaciva  
Corda dolo emeruere ipsi cum nomine plausum  
Illustri. quoties divini cæsar is ora  
flexit, & iratos animos emollijt? heu quam  
blanditer æthereæ patulo sub tegmine fagi  
Svavia dictabant relicta Heliconidis umbrâ  
Carmina Pierides, genus atq; insigne canendo  
scribebant, vivis intexebantq; corymbis.

Nunc hæc omnia mors, & mors inopia fracescit

Heu

Heu mihi cor, sensus anima percunte fatiscunt )  
Abstulit, occiduo quodq; invidet improba mundo,  
ætheris immittit iucundis sedibus, ôhe:  
nè lacrymis indulgete, ( ô mutatio pulchra !)  
ne lacrimis Fili, tūq; ô concussa repente  
Coniugis interitu, Brigitta, undantibus ora  
fletibus in cesta; neu tundas pectora palmis.  
Quæ tandem æternis patrem considere regnis  
imuidia est? & nos fas coelica querere tempe.

Exoriare aliquis tacitis ex ossibus ulti  
Virtutis, memori quam fouit pectore! tanti  
Exoriare, IACHIME, patris fate sanguine: flammeo  
Exoriare, agedum, præcinctus lumine, honore,  
& decore: ecce tibi genitor, tibi lampada tradit,  
tradit, & æternis optat florescere seclis.

*Philippus Eyselius Fr.*

O schola, non ne doles? ruit alteà culmiuc πύγος  
Ille tuis πύγος tutissimus unus alumnis.  
Nobilium occidit ante diem Sol ille virorum  
Reichardus schuleburgiacæ fama incluta gentis,  
Nonne doles Phæbo & Musis operata iuuentus?  
Immo doles, doluisti cheu plus quam satis, cheu  
Sic fato occubuisse bonum hoc commune bonorum.  
Sed solatium habes (potes hunc sepelire dolorem)  
Victuros nomen quibus immortale dedisti;  
Vivent Reichardi Schuleburgi nomina, vivent:  
Stabit & hic πύγος nullo expugnabilis ævo.

*Zacharius Scherfferus  
Leobschucensis, Sil.*

ODA

ODA

De obitu Viri Nobilissimi, Dn. REICHARDI à  
SCHVLENBVRG. &c.

Malo Diana te producit oscine

Ad bestiarum retia,

Ut figat alacrius suo mors spiculo

Pectus, RICHARDE, Nobile.

Quid hoc tyrannidis stomachatur in dolo?

Quid est veneni saltibus?

Venationis è graui molestiâ

Vix tangere otium occupas,

Mors occupat mucrone vitam elidere

Prima ad quietis ostia.

O rebus haud tuis fideles hospitas,

Per lustra quas agis, feras!

Sic nempè credulas vocat Appulus lupus

Oveis in aream suam:

Sic muscularum callidus facilem gregem

Ælurus ad Iudum elicit,

Mors irretorto ceu latefecit aclyde

Specu tenebris obsito!

Iam sentio, in nostrum genus quas inferat

Regina mors potentias,

Si tām caput celebre, tām virum inclutum

Suā coērcet copiā,

Heīc Heracleitus, Heīc Timon suspiria

Ad busta mittat condita:

Ut ipse vellem lingua nī me torrida,

Ob tristiores lacrumas

Suspenderet silentio! hoc sed inferam;

Non faustiori labilis

C

Potu-

Potuisse deripi tibi orbis climata  
Heros RICHARDE Nobilis!  
Nam tardioris horulæ quæm temporis  
Morti protervæ venditant,  
Morbi & doloris acris in cubilibus  
Male dissipatum sarcinis,  
An quit diem rationis in delirio  
Te terminare faustior?  
*Nicolaus Rudolphus  
Citting. Francus.*

MANES REICHARDI A SCHVLENBURG  
ad Brigittam Uxorem & Filium.  
**H**Ec ego post variam sortem, post mille labores,  
Post mortem & morbos nunc requiesco graueis.  
Sat vixi in terris, totum illud vivere tantum  
Triste fuit; vitam nunc ego vivus amo.  
Blanda marita vale, dum fata Deusq; sinebant  
Maxima tu nostri portio cordis eras.  
Tu fili, ô dulcis fili! vale, ut auguror, unus  
SCHVLENBVR GIACÆ gloria stirpis eris.  
Augeat & minuat vestrum res ista dolorem,  
Funera vobiscum quod Charis ipsa fleat.  
Quod Themis, & Peitho, patriæ quod maxima turba  
Edant mœsticiæ publica signa suæ.  
Quin mage, quas vivus fovi, quod carmina Musæ  
Talia funereum marmor habere volunt.  
MAR CET in hoc tumulo Schulburgi nobile corpus;  
Mens cœlo, in terris nomen ubiq; VIRET.

*Christianus Bordingius,  
Arbusta Danus*

Vge Pierij cohors Lycæi,  
Et quantum est hominum eruditiorum,  
SCHVLENBVRGIVS occidit RICHARDVS,  
Quo non Teutoniam fuit p̄ omnem  
Fermè NOBILIOR repertus alter.  
Facundus fuit ille & expeditus,  
Seu vellet patriâ frui loquellâ,  
Seu dispergere Tulliana verba.  
Facundus fuit ille & expeditus,  
Seu vellet modulos loqui ad pelasgos,  
Seu diffundere Gallicos liquores,  
Seu demum Italicas sonare voces.  
Quin & musicus & bonus poëta,  
Qui nunc trivit iter quod est cuiquam,  
Aut serò aut citius, semel terendum.  
Eheu sævitiem ferociamq;  
Mortis! quæ parili trucidat omneis  
Conatu, & generis nihil moratur  
Splendorem, nec opes beatiorum,  
Nec dotes genio sagaciorum!

*Johannes VVildenreutensis  
Palatinus.*

*IN TVMBAM.*

Natus in illustri SCHVLNBVRGVS gente Richardus  
Corporis hoc posuit frigida membra loco.  
Vir gravis, ingenio præstans, & pectore firmus,  
Virtute insignis, nobilitatis apex:  
Constans in dictis, factisq; : in legibus æquus,  
Strenuus in reprobos, mitior inq; bonos.  
Spiritus angelicis adiunctus cœtibus, unà  
Gaudia perpetuo læta tenore capit.



Ergo dum superus vertigine curret olympus,  
Illiū aeternū fama superstes erit.

*IN INSIGNIA  
Nobilissimæ gentis Schulenburgiace.*



Ille refert clypeus gentilia symbola stirpis,  
Quæ de SCHVLBVRGIS nobile nomen habet.  
Arte potens & Marte potens, ac clara Dynastis,  
Clara toga, atq; solo commoda, grata polo.  
Christe tot illustrem qui texti secula gentem,  
Schulenburgiacam porrò tuere domum:  
Vt pia posteritas exempla secuta parentum,  
Quod DEVS atq; salus publica poscit, agat.

*Balthasar Mencius Saxo, N.P.C.*

# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Inches  
Centimetres


v Schulenburg

MVLVS  
, equestris & ve-  
ris Splendore, amplitu-  
sapientia ac virtute nobilissimi Dn.  
burg, Domini in Löcknitz, Lubenau, Ba-  
, Apenburg, Bezendorff, Luberose, VVe-  
Zaucha & Zepzin, Domini & patroni  
risto defuncti, Anno seculari 1600.  
Nov: Die 15. stylo veteri

erectus à

ASARE MENCIO ET ALIIS  
Academia VVitebergensi.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



VVITEBERGAE  
rentij Seuberlichij. Anno 1600.

